34.

Viro Clarissimo Consultissimoque
Gottlieb Cortio
s. d. p.
Henr. Cannegieter.

Literae, quas a. d. vii Kal. Novembris ad me dedisti
heri mihi sunt redditae. Nonnihil, fateor, eae me
commoverunt, quod ex iis intellexi me negligentiae
nomine, ne quid turpius dicam, tibi suspectum esse
coepisse, quod Oudendorpii Lucanum ante duos de-
mum menses a prelo liberatum ac distributum
inter Harlemenses Viss. Coss. quibus dedicatus
est atque ob id ut putas parabilem ubique
nec dum ad te ex fide data miserim. Tametsi
autem nunc ad manus tuas pervenit exemplar
Lucani quod ante aliquot dies Lipsiam hinc cura-
vi fideque quam adstrinxeram liberata jam
est ne tamen diuturnior mora suspecta sit tibi,
de qua in epistola quam simul cum exemplari eo misi,
nihil addidi, ne ea modum excederet, illam

mihi nunc diligentius purgandam esse existimavi
quicquid enim sinistre suspicionis ~~est~~ in animo tuo
resedit mature atque in tempore eximere mihi
quam inolescendi spatium relinquere. Scito autem
simulac primum a te mihi negotium datum est cu-
randi exemplar Luciani, nihil me reliqui fecisse
ut pararem hominem, qui exemplar unum, opere
ad finem perducto continuo auferret quavis im-
pensa atque ad me mitteret. Scripsi itaque ad
bibliopolas duos tresve quorum opera ~~Leyden~~
in negotiis Leydensibus uti soleo ut in hac re
fidem mihi suam atque artem ostenderent nec
refugi demum, si quos eorum mittente, plura
exemplaria mihi ~~[illegible]~~ singulis compararentur.
Omnis tamen diligentissime ne meo nomine a
Luchtmanno exemplum peterent, ne homini cum
Oudendorpio ejusque amicis quotidie versanti, suspi-
cionem moverent. Interea autem ex adolescen-
tibus, qui in ea Academia studiorum causa a-
gunt, hinc eo profecti, diligenter sciscitor
quando demum proditurus sit Lucianus, respon-
dent omnes uno ore, idque etiam datis ad me
literis bibliopolae affirmant, non nisi septem-
bri mense copiam ullius exemplaris cuiquam
fore, tametsi forte opus maturius conspi-

matum fuerit. Caussam eorum nemo addidit, neque
eam adolescentes noverant. Dum autem iterum
iterumque bibliopolas adhortor frustra, ecce tibi ab
ipso Luchtmanno exemplum mihi mittitur
sed non nisi hoc mense atque ea hebdomade, qua
in ~~recipiendis~~ superioribus meis ad te literis
designavi. Audit homo se audivisse vehementer
me desiderio ejus teneri. Primus hic liber est,
quem unquam ab hoc bibliopola comparavi, nam
ne tum quidem, quum Leydae musis olim vacavi,
quidquam ab eo emi. Misit autem eum ad me non
via consueta i. navi, sed per hemerodromos, e
qua re intellexi desiderium meum ei notum fuisse.
Quid autem porro in hac re acciderit, dudumne cum aliis
communicatus sit hic Lucanus equidem nescio; hoc
scio in hac Urbe praeter id unum quod ad te est
missum nullum ~~hodie~~ usque adhuc conspectum
fuisse exemplar. Ipse Oudendorpius, qui omnia
sua mecum communicare solet (orationem tamen
qua ~~Harder~~ Harlingensis scholae praefecturam auspi-
caturus dixit me carere voluit) et saepe de Lucano
mecum locutus est inde ab aliquo tempore nihil
ad me retulit. Quid monstri alant nescio, parumque
id curo. Forte tamen ~~protrahendi~~ Lucanum vulgando protra-

tracto more haec caussa est, ut ~~et~~ annus proximus
nempe CIƆIƆCCXXVIII. editioni praefigi queat, quod
enim praecipit anno emittitur, id a proximo anno
notari solet. hoc autem ~~recte~~ factum fuerit,
in hoc libro tute ex ipsa re dijudicabis. In Lucano autem
hoc studio majore forte curatum fuerit, ne
tua dein editio ~~[illegible]~~ quae proximo an-
no exspectatur, illa posterior videatur iis, qui
novissimas editiones majore studio pretioque appe-
tunt. Quicquid fuerit, hoc scito ea cura
eaque diligentia ea denique fide hoc negotium
a me gestum esse, ut majore nullus potuerit.
Siquid tamen commissum est, aliorum est culpa,
quibus Lugduni ipse Leydae negotium mandare ne-
cesse habui. Quacirca excusationem hanc
tibi probari vehementer velim probatamque
tibi putabo, si in alia deinceps re fidem meam
ac sedulitatem experiri volueris iterum. Vale
et me ama prid. Kal. Novembr. CIƆIƆCCXX
VII. Arnhemiae.
Harderovicia certissimi homines mihi nunciarunt,
Curatores ejus Academiae mei rationem nunc haud qua-
quam inter postremos habere coepisse cui jurisprudent-
tiam in Academia sua exponendam demandarent.
Nisi perspectam haberem hominum fidem, qui id mihi nun-
ciarunt, res mihi incredibilis videretur: Quod dudum si-
milem locum non in sua tantum Academia solenniter mihi
delatum, sed et in Academia alia, quae Harderovicено

praestantior habetur recensitus. [illegible] cum
his [illegible] meis hinc [illegible] ubi diligentia nostra
reddetur.